



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. VIII. Possunt plures ministri cundem simul validè absolvere ab
iisdem peccatis; eruntquè tali casu plura Sacramenta, etiam aliquando
formaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

fuit, aliquem Confessarium post audita omnia peccata penitentis seu mortalia seu venialia, ab aliquibus voluisse absolvere, ab aliquibus non, cum tamen posset ab omnibus absolvere si vellet: quidquid sit de praxi Romana, quæ ab Aliquibus obtruditur, audiendi sola peccata reservata, ab eisque sacramentaliter absolventi, de qua infra proprio loco.

Per se constat esse absurdissimum, inquit Suarez supra n. 5. quod Parochus posset, auditâ integrâ Confessione sui Parochiani, non illum integrè absolvere, sed tantùm de quibusdam peccatis, & pro reliquis eum mittere ad doctiorem alium Sacerdotem, loquendo de Absolutione Sacramentali; secus ratione consilii, aut alterius remedii.

Ut ut sit de valido, saltem non licere hujusmodi dimidiatam Absolutionem, pro comperto habetur apud omnes; quia aut penitens est dispositus ad recipiendam Absolutionem, vel non: si non, à nullo peccato debet absolvi; si est, ab omnibus, saltem mortalibus, est absolvendus, sicut ipse omnia mortalia tenetur confiteri. Siquidem integritas in Confessione requiritur propter integritatem in Absolutione; si ergo in Confessione requiritur integritas, cur non magis in Absolutione? Præsertim quia post factam integram Confessionem, nulla potest esse causa rationabilis ad dimidiam Absolutionem.

Cum ergo constet in omni prioris casu id esse illicitum, hæc maneat resolutio finalis: vel ille Confessarius habet intentionem confitendi Sacramentum; vel non; si non habet, nullum peccatum remittit; si habet, velit nolit omnia peccata remittit, si penitens non ponit obicem. Quippe verba formæ generalia sunt, & quamvis ab intentione ministri dependeat ut sacramentaliter significant, tamen suppositâ sacramentali significatione, non est cur potius significant remissionem hujus, quam illius peccati, quando omnium est eadem dispositio penitentis, & jurisdictio absolventis.

Sed nunquid, interrogat quispiam, forma Absolutionis potest proferri à pluribus ministris, adeoque plures ministri eundem validè absolvere ab eisdem peccatis? Responsio erit

CONCLUSIO VIII.

Possunt plures ministri eundem simul validè absolvere ab iisdem peccatis; eruntque tali casu plura Sacramenta, etiam aliquando formaliter.

Loquitur Conclusio de simultanea Absolutione, nam de successiva liquet profectò, quod sicuti penitens eadem peccata potest successivè iterum & iterum subijcere Clavibus Ecclesiæ, ita ab eisdem possit successivè iterum & iterum absolvi, sive ab eodem, sive à diversis ministris, prout eidem, aut diversis constituitur.

Præterea loquitur de eisdem peccatis; nam si penitens velit dividere peccata venialia, & unam partem uni, alteram alteri confiteri, indubiè uterque minister posset simul illum absolvere à peccatis sibi confessis, & singuli conficerent distinctum Sacramentum, & conferrent distinctam gratiam; cum sit distinctus dolor, distincta Confessio, & distincta Absolutio; per accidens autem est, quod eodem tempore proferatur Absolutio.

Et verò quod dictum est de peccatis venialibus, etiam de mortalibus intelligendum, quando licitè dimidiatur eorum Confessio; v. g. in Aliquorum sententia potest Prælati velle solum audire peccata reservata, & ab iis directè absolvere, mittendo penitentem ad alium, cui confiteatur non reservata; suppositâ tali casu Confessione utrique factâ, non est ratio, quare Prælati, & inferior Confessarius, non possent simul validè, immo & licitè absolvere à peccatis sibi confessis.

Difficultas ergo est, quando eadem omnino peccata simul constitutur pluribus ministris, ut ab ipsis simul recipiat Absolutionem sacramentalem. Dico, *Simul constitutur*, quia si hodie uni confiteatur, crastinâ die alteri, si uterque postea simul occurrat, cur non poterit ab utroque petere Absolutionem? Cur non poterit ab utroque simul absolvi, sicut poterat successivè? Cur non accipiet duplex Sacramentum, & duplicem gratiam, sicut si successivè absolvisset? Uterque enim jus habet iudicandi, ac si ad ipsum solum recurrisset. Cum ergo in tali casu sit duplex dolor, duplex Confessio, duplex Absolutio, nulla est ratio, quare non sit duplex Sacramentum, etiam formaliter, id est, conferens distinctam gratiam; eodem modo ac si diversa peccata pluribus fuisset confessus, & à pluribus simul absolveretur.

165. Plures ministri successivè possunt eundem absolvere ab iisdem peccatis.

Et simul à diversis.

etiam mortalibus.

166. Præterea simul ab iisdem diversis confertur.

quò est duplex Sacramentum formaliter.



167. Dispar est ratio de Baptismo & Extrema Unctione; nam hæc Sacramenta ex sua institutione ordinantur ad quendam finem determinatum, Baptismus ad generationem spiritualem, & characterem familiae Christi; Confirmatio ad roborandum in fide, & characterem militiæ Christi; Ordo ad ministrum Ecclesiæ constituendum & characterem ministerii; denique Extrema Unctio ad confortandum in ultimo agone; & ideo non sunt iterabilia, saltem pro eodem tempore;

Secus Sacramentum Pœnitentiæ.

168. Confirmat disparitatem hanc exemplo Pontificis.

169. An foret duplex Sacramentum formaliter si pœnitens simul confiteretur utriusque.

Dispar ratio est de Baptismo, Confirmatione, Ordine, & Extrema Unctione; nam hæc Sacramenta ex sua institutione ordinantur ad quendam finem determinatum, Baptismus ad generationem spiritualem, & characterem familiae Christi; Confirmatio ad roborandum in fide, & characterem militiæ Christi; Ordo ad ministrum Ecclesiæ constituendum & characterem ministerii; denique Extrema Unctio ad confortandum in ultimo agone; & ideo non sunt iterabilia, saltem pro eodem tempore: quod addo; quia Extrema Unctio iteratur pro iteratione ultimi agonis. Non sunt, inquam, iterabilia; quia non ordinantur ad augmentum sui effectus, sed ad ponendum illum effectum semel, quo effectus semel positus, non deservit amplius illud Sacramentum ad iterum ponendum effectum, vel augendum. At verò Sacramentum Pœnitentiæ constat esse reiterabile, etiam super eisdem peccatis; utpote à Deo ordinatum, non solum ad semel ponendum suum effectum, sed etiam ad eisdem augmentum.

Confirmat hanc disparitatem Iugo disp. 13. n. 168. exemplo Pontificis, qui dum concedit accipienti Bullam Cruciatam, ut possit semel in vita, & semel in articulo mortis lucrari Indulgentiam plenariam, vel semel absolvi à reservatis &c. non vult nisi semel ponere ejusmodi effectum, estò aliquis simul plures accipiat Bullas, nisi specialiter id exprimitur in secunda Bulla. At verò quando habenti talem imaginem benedictam, & audienti Missam, concedit toties quoties pro singulis Missis 40. annos Indulgentiæ; vel Indulgentiam plenariam, si aliquis simul audiret duas Missas in duobus altaribus, duplicatam lucraretur portionem, sicut si eas audiret successivè inquit Eminent.

Sed hoc difficulter crediderim. Valeat quantum valere potest; ab illo exemplo non pendet veritas nostræ Conclusionis. Illa sola disparitas sufficiens est, quòd Baptismus sit Sacramentum non iterabile, undecumque illud proveniat; Pœnitentia autem Sacramentum iterabile, ut exinde duplex Sacramentum Pœnitentiæ conferre debeat duplicem effectum; secus duplex Sacramentum Baptismi.

Sed nunquid, ut sit duplex Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur, ut successivè utriusque confiteatur, & non sufficit, quòd simul eo sine, ut ab utroque recipiat distinctam Absolutionem? Placet resolutio, affirmans sufficere, non solum, ut sit duplex Sacramentum materialiter; sed etiam formaliter, id est, ut pœnitens recipiat duplicem effectum, si est dispositus. Quod addo; quia Multi existimant talem peccare ita confitendo, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, & exponitur una Absolutio periculo nullitatis.

Est contra Ecclesiæ consuetudinem, non

abnuo; exponi autem unam Absolutionem periculo nullitatis, si forte non simul finiant prolationem verborum; nego; dummodo uterque in solidum velit absolvi, & pœnitens ab utroque in solidum velit absolvi. Ceterum sola consuetudo Ecclesiæ satis est, ut talis Confessio sit illicita; si tamen licite fieret propter bonam fidem pœnitentis, haud satis clarè video; quare utraque Absolutio, si simul finiat, si non, eundem debere habere effectum, & non potius diversum.

Ratio mea est: quia etiam in tali casu est duplex Absolutio in solidum, quæ, secundum nostram principia, est tota essentia Sacramenti Pœnitentiæ; immo duplex etiam Confessio, non quidem physicè & materialiter, sed moraliter & virtualiter. Idem quippe est dicere: Confiteor vobis hoc peccatum, atque, Confiteor tibi Terre, & Confiteor tibi Pauli, quo casu est duplex realiter Confessio. Sicuti cum plures simul absolvo, dicendo: Ego vos absolvo, quantum hæc Absolutio realiter & physicè sit una; moraliter tamen & virtualiter est duplex, & confert duplicatum effectum; quia idem est, ac si dicerem: Absolvo te Petre, & Absolvo te Pauli. Et eodem modo dici posset dolorem esse duplicem, scilicet moraliter & virtualiter; quia æquivaleret duplici dolori, qui esset, si duobus successivè novo elicitio dolore confiteretur.

Dixi notanter: *Ex fine, ut ab utroque recipiat distinctam Absolutionem*; quia si moribundus recipiat Absolutionem simpliciter, & statim post sensibus delituatur, est contra receptissimam praxim Ecclesiæ, quòd à pluribus successivè absolvetur, nisi nova edat signa doloris vel Confessionis, quæ praxis tamen esset in maximum detrimentum animarum; si licet & validè pluries posset absolvi, & semper novam recipere gratiam.

Ratio autem diversitatis est, quòd tunc non sit duplex Confessio; jam autem unus processus, & una accusatio, solum inchoat unum iudicium; porò unum iudicium terminatur per unam sententiam. Cum ergo moribundus non intenderit recurrere ad plures Sacerdotes, tanquam ad Iudices distinctos, ut à singulis seorsim Absolutionem obtineret, sed simpliciter petierit Absolutionem, si ab uno, si à pluribus; instituit enim causam sicuti potuit & debuit, id est, juxta consuetudinem Ecclesiæ; hinc si ab uno absolvetur, si à pluribus, sicut unum fuit iudicium, sic una erit sententia Absolutionis. Unde si contingat à pluribus simul proferri verba Absolutionis, qui primò finierit, ejus Absolutio erit valida, si autem omnes simul finiant, omnes validè absolvent, sed per modum unius.

Sed contra I. quòd sit una, vel duplex Absolutio, non videtur pendere ab intentione pœnitentis: veluti si quis velit duas hostias consecratas accipere per modum duorum

Sacramentorum, non ideo accipiet duplicem gratiam, & tamen illa duae hostiae, sunt duo numero Sacramenta, quae si successivè sumerentur, indubité caularent diversum effectum; Sacramentum quippe Eucharistiae est iterabile non minus, quam Sacramentum Penitentiae, & ordinatur ad augendam gratiam; habetque multò minus determinatò finem, quàm Penitentia; hæc enim directè habet pro fine extinctionem culpæ, quæ extinctio una videtur esse respectu ejusdem culpæ. At Eucharistia neque hæc habet limitationem, & tamen estò duæ tresve hostiæ sumantur simul, quidquid etiam intendat accipiens, non erunt duo Sacramenta in ordine ad collationem distinctæ gratiæ, sed per modum unius Sacramenti conferent eundem effectum, quem alioquin unâ hostia cæteris paribus contulisset.

Secundò; si multiplicatio effectus pendet ab intentione confitentis, debet supponi, saltem habitualiter id velle infirmus ille, quia cum id sit in bonum ipsius maximum; nec hoc adferat illi ullam penitus nocumentum aut molestiam, nec physicam, nec moralem, sed purum putum duplicatum augmentum gratiæ, quis erit tam simplex, qui non malit eas duas Absolutiones per modum duarum, quàm per modum unius?

Ad similes autem effectus non est necessaria formalis & expressa intentio; sufficit enim interpretativa; ut patet in susceptione Extreme Unctionis, quam, eò quod non adferat ullam difficultatem, aut onus; sed puram utilitatem; censentur omnes Catholici saltem habitualiter velle, ac proinde eò ipso est illis sufficienter voluntaria ejus susceptio, quantumvis de ea forte totâ virâ suâ non cogitaverint, ergo idem dicendum erit quoad duplicem illam Absolutionem. Ita Arriaga disput. 50. n. 29.

Respondet ad ultimum Neg. Conseq. Ratio disparitatis est tam manifesta, ut mirum sit virum doctum illam non vidisse. Quid enim clarùs, quàm Extremam Unctionem, juxta consuetudinem Ecclesiæ, & Christi institutionem; omnibus Catholicis extremè laborantibus administrari? Et quid manifestùs, quàm Absolutionem nullis Catholicis, etiam extremè infirmis, juxta consuetudinem Ecclesiæ dari, nisi ab uno? Quidnò ergo omnes Catholici habitualiter seu interpretativè velint suscipere Extremam Unctionem; tamen noli habitualiter seu interpretativè Absolutionem à pluribus ministris? Profectò quilibet Catholicus censetur habere voluntatem conformem voluntati Ecclesiæ universalis, nisi aliud expresse constet; præsertim si est voluntas Ecclesiæ obligans.

Cur autem noli Ecclesia, etiam in extremis, ministrari Sacramentum Penitentiae à pluribus, simul vel successivè, nisi de novo in-

firmus confiteatur, estò reciperet à pluribus, simul vel successivè distinctas gratias, ratio potest esse; quia una Absolutio est planè sufficiens ad salutem, & non omnino certum est, alias Absolutiones valere, aut conferre novum effectum. Et sanè Ecclesia nonne prohibet extremè laboranti lapsus de die communicare, tametsi certò certus acciperet majorem gratiam?

Accedit, quòd diverso planè modo concurrat intentio pœnitentis ad Absolutionem, quàm intentio infirmi ad Sacramentum Extreme Unctionis; nam quasi materia Sacramenti Penitentiae sunt actus pœnitentis; at verò materia Extreme Unctionis, actio ministris. Quid ergo miramur, si intentio pœnitentis possit constituere diversas moraliter Absolutiones, quæ alioquin tantum essent una, si pœnitens vellet? Sanè judicium, tametsi formaliter consistat in sola Absolutione, equidem præsuppositivè etiam in accusatione.

Ubi ergo una accusatio, una sententia; ubi duplex accusatio, duplex sententia; jam autem ab intentione pœnitentis pendet, ut accusatio, facta coram pluribus simul, sit una; vel multiplex; una quidem erit, si non postulet sententiam ab illis pluribus, nisi per modum unius; multiplex autem, si intendat sententiam à singulis in solidum. Cùm enim in solidum non possint judicare, nisi ipsi in solidum res judicanda deferatur; tali casu etsi accusatio physicè sit unica, moraliter tamen seu virtualiter erit multiplex. Etenim accusatio pro fine suo habet tum informationem Judicis, tum ejus sententiam; porro accusatio, facta coram pluribus simul, tam efficax est ad informandum omnes Judices præsentés, & ad obtinendam ab omnibus sententiam, ac si seorsim unicuique in particulari fieret.

Ex quo evidenter colligitur responsio ad primam objectionem, quam valdè urget Arriaga supra n. 27. & 28. Siquidem sumptio seu manducatio Eucharistiae (quæ, si non sit ipsum Sacramentum causans gratiam, certè est conditio, sine qua regulariter Eucharistia non causat gratiam sanctificantem) est actio aliqua physica, cujus unitas, vel multiplicatio physica, non dependet ab unitate, vel pluralitate hostiarum; ut omnes admittunt, neque etiam ab intentione sumentis. Et aliunde gratia sanctificans præmissa est manducanti, sive Corpori Christi manducato, non moraliter seu intentionaliter, sed physicè & realiter; ergo nisi actio physica physicè multiplicetur, non multiplicatur effectus.

Quin immo multiplicatio physica non semper sufficit; sed insuper requiritur multiplicatio moralis, id est, ut non solum physicè, sed etiam moraliter in communi æstimatione hominum sint manducationes distinctæ. Jam autem

Peniten. à pluribus ministris.

175. Diverso modo concurrat intentio Penitentis ad Absolutionem, quàm infirmis ad Extremam Unctionem.

Ab intentione pœnitentis pendet, ut accusatio facta coram pluribus simul, sit una aut multiplex accusatio.

176. Respondetur ad objectionem.

177. Intentio communis non multiplicat nec physicè nec moraliter.

iter manducationes.

178. In casu Concluf. sunt duæ Absolutiones, tam Physicæ, quam moraliter.

179. Obiectio ex scoto.

Quid fit Confessio sacramentalis.

180. Explicatur mens Scoti.

autem, ex eo quod aliquis simul sumat duas hostias, intentione fumendi illas per modum duorum Sacramentorum, neque physicè, neque in morali aestimatione hominum multiplicatur sumptio; ergo neque effectus Sacramenti.

Sed nunquid idem, aut simile reperitur in Sacramento Penitentia? In primis gratia remissionis peccatorum promissa est, non accusationi, sed Absolutioni: Quorum remissionis peccata (quod fit per Absolutionem) remittuntur eis. Deinde in casu nostro, seu duo simul, seu successivè absolvant, sunt duæ Absolutiones physicè distinctæ, ut clarum est. An autem hic & nunc sint moraliter distinctæ, dubitari posset, quandoquidem aliquando accipiuntur per modum unius.

Et verò quid obstat, quin illa moralis distinctio fieri possit per intentionem penitentis, & intentionem absolventis? Nihil omnino. Nam quod dicit Arriaga supra n. 28. in humanis, si reum aliquem, audià causâ, duo Judices, inter se independentes, illum simul absolvant, reputatur id per modum unius judicialis Absolutionis; falsum est, quando constat, reum proposuisse causam suam illis duobus Judicibus in solidum, & utrumque distinctè, & in solidum velle reum absolvere.

Sicut ergo pendet ab intentione penitentis, & Confessarii, ut illa verba: Ego te absolvo, sint, vel non sint vera sententia Absolutionis; ab intentione autem fumentis hostias consecratis, non dependet, ut sit vera sumptio Eucharistia; ita pariter ab intentione penitentis & Confessarii pendet, ut duæ formæ verborum sint moraliter duæ Absolutiones, vel unica tantùm; tamen non pendeat ab intentione fumentis plures hostias, ut sit moraliter una, vel duplex sumptio Eucharistia.

Restat parva difficultas ex Doctore Subtili 1. dist. 17. q. 1. n. 31. ubi sic ait: Ex hoc patet, quod pluribus Sacerdotibus simul non est confitendum, ut melius iudicent; quod si fiat, non est sacramentalis Confessio. Ergo videtur, quod in casu nostro nequidem unicam remissionem accipiat penitens per duplicem Absolutionem, cum Absolutio sacramentalis non possit cadere, nisi super Confessionem sacramentalem; Confessio autem, quæ fit pluribus simul, secundùm Scotum, non fit sacramentalis.

Respondeo; Confessionem sacramentalem esse accusationem suiipsum, in ordine ad Absolutionem sacramentalem; ac proinde requirere intentionem submittendi se Absolutioni Sacerdotis; quæ si deficiat, non erit Confessio materia proxima Absolutionis; sin autem adfit, poterit penitens absolvi, & valebit Absolutio, estò Confessio fuerit publica.

Neque hoc negat Scotus; sed tantùm intendit, actum illum ex natura actûs, ut est accusatio publica, ordinari ad forum publicum, sicut ordinatur ad scientiam publi-

cam, quæ regulatur per se tale forum; ac proinde non esse Confessionem sacramentalem quantum ad modum; licet in substantia possit esse, quæ nimirum includit informationem Judicis, cum intentione recipiendi Absolutionem. Intendit itaque, non obligari reum ad Confessionem publicam peccati secreti ex præcepto Confessionis; neque illam regulariter esse licitam, ut docet consuetudo Ecclesiastica, quod sufficit, ut verè dixerit Scotus: Quod si fiat, non est sacramentalis Confessio, scilicet quoad modum; id est, non est secreta Confessio, ad quam obligat præceptum, si non divinum, saltem Ecclesiasticum, ut suo loco videbimus.

Quod illa sit mens Scoti, patet ex verbis præcedentibus: Sed primum (scilicet quod aliquis debeat confiteri per interpretem) non videtur necessarium: quia foris ipse ex natura sua est secretissimus, ergo non tenetur aliquis ad ipsum forum, ut aliquo modo publicus: sed licet interpretis verba celare, & tenetur celare, sicut Sacerdos, tamen si vel ut malignari, ipse & Sacerdos possunt esse contra accusatum; & ita ex natura huiusmodi accusationis, hæc accusatio potest venire in publicum, & ita non est penitentialis, scilicet quoad modum.

Sed de hac Confessione plura alibi. Impeccatiarum sufficiat; Confessionem per interpretem, aut quæ fieret pluribus Sacerdotibus simul, cum debita intentione, licet non foret necessaria, atque hoc sensu non sacramentalis, equidem esse materiam proximam Absolutionis.

An autem, quando duo simul in solidum absolvent eundem penitentem de iisdem peccatis, talis penitens deberet dici bis absolutus, an verò semel duplici Absolutione, quæstio est de nomine. Et quidem, si bis absolvi significat successione unius Absolutionis post aliam, liquet quod non proprie diceretur bis absolutus. Sin verò tantùm significet duplicem Absolutionem, cum duplici remissione peccatorum, sic proprie diceretur bis absolutus; estò qui valide baptizaretur à duobus, proprie non diceretur bis baptizatus; nec eadem hostia, quæ à multis Sacerdotibus consecraretur, pluries consecrata. Ratio dilparitatis est, quod duplex Baptismus, & multiplex Consecratio, non caulent nisi unum & eundem effectum. Sed, ut dixi, quæstio est de nomine, quæ parvi momenti.

Alia quæstio proponitur: An quando plures ministri simul eundem absolvent, possent singuli uti hæc formâ verborum: Nos te absolvimus à peccatis tuis, non in eo sensu, quo solent Pontifices, Prælati, & Principes, immo & alii longè inferioris note, loquentes in propria singulari persona, usurpare vocem pluralis numeri pro singulari (id enim perinde est, atque in singulari loqui) sed ita ut uniusquisque illis verbis significet seipsum, & etiam alium, qui tunc absolvit? In hac re non consentiunt Doctores; dico ego;

CON-